

fiat ac in ea commissarii rev<sup>mi</sup> domini archiepiscopi in mere spiritualibus ac personalibus praecipuam, in temporalibus vero pro hac vice salten donec et quousque visitatio perfecta sit et executioni de mandata aequalem ac parem<sup>3)</sup> cum S. Ser<sup>tis</sup> deputatis potestatem habeant ac in tota tali visitatione reformationeque nihil aliud quam Dei Op. Max. honorem ac ecclesiae suae sanctae utilitatem respiciant et observent, relicta in medio quacunqve vel S. Ser<sup>tis</sup> vel S. R<sup>mae</sup> D<sup>nis</sup> circa dicta temporalia praetensione, de qua ad partem durante vel finita hac visitatione et reformatione suo loco utrique parti integrum erit ius suum omni meliori modo via ac forma prosequi, quod quidem S. Ser<sup>tas</sup> eo lubentius fecit, cum ipsemet rev<sup>mus</sup> dominus archiepiscopus haud gravatim confitebitur, Ser<sup>ti</sup> S. eiusmodi visitationem ac reformationem nunquam adversam fuisse, imo Ser<sup>tem</sup> S. statim ab initio sui regiminis a R<sup>ma</sup> D. eius requisitam de eo sine omni dilatione postulatis S. R<sup>mae</sup> D. non solum actutum annuisse, verum etiam instructionem illam, quam super eo S. R<sup>ma</sup> D. composuerat et Ser<sup>ti</sup> eius de 25 Julii anni (15)65<sup>4)</sup> transmiserat usque quaquam laudasse perpetuoque paratissimum fuisse id quod in ea partium suarum erat debitae executioni sine omni mora demandare, nam Ser<sup>tem</sup> S. constanter affirmare posse se iugiter nihil iniquius et christiana pietate indignius duxisse quam ab hoc vel illud temporale lucellum vel minimum spirituale emolumentum negligere. Itaque S. Ser<sup>tas</sup> plane sibi pollicetur neque S<sup>um</sup> D. N. neque ullum alium mortalium S. Ser<sup>ti</sup> imputaturum, quod dicta visitatio ac reformatio hactenus dilata procrastinataque fuerit, praesertim cum rev<sup>mus</sup> dominus archiepiscopus ipsemet non poterit negare Ser<sup>tem</sup> eius aliquot praelatorum ac aliorum spiritualium depravatos mores ei per literas significasse et eum pro eorum correctione amanter ac sedulo requisivisse, unde quilibet vel mediocri iudicio praeditus colligere potest an Ser<sup>tas</sup> S. saepedictam reformationem impediverit vel promoverit, nec obstat, quod S. Ser<sup>tas</sup> iuribus suis supradictis ab hominum memoria continue possessis renuntiare noluerit. Nam id facere neque tenebatur neque etiam in praeiudicium totius ser<sup>mae</sup> domus Austriae atque adeo etiam omnium aliorum Sacri Romani Imperii principum, qui omnes eiusmodi iura super monasteriis ac aliis

<sup>3)</sup> *Als Kommissare des Erzbischofs von Salzburg wurden Dr. Johann Fickler und Adam Schreindel bestellt; landesfürstliche Kommissare waren Johann Trattner, Abt von St. Lambrecht, und Dr. Georg Klain (Graz Diözesanarchiv, Sonderarchiv Stifte, Admont, Visitationen; St. Lambrecht Stiftsarchiv, Urk. Nr. 1230).*

<sup>4)</sup> *Nicht vorhanden.*